

Franz Wolf Johann Hövet

## **Collegii Theologici Disputatorii, Disputatio Secunda De Scriptura Sacra, Unico Theologiae Revelatae Principio**

Rostochii: Richelius, 1696

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740902571>

Druck Freier  Zugang



RU theol. 7.Okt. 1696

Wolf, Francisco /a



I. N. J. (B)

COLLEGII THEOLOGICI  
DISPUTATORII,  
DISPUTATIO SECUNDA  
DE  
SCRIPTURA  
SACRA, 284

UNICO THEOLOGICÆ REVELATÆ PRINCIPIO,  
Quam,  
adspirante DEI T. O. M. gratiâ, consensu  
Pl. Rev. Facult. Theol.

PRÆSIDE

FRANCISCO WOLFIO,

TH. D. & P. P. Collegii Senatorii Seniore,

Pastore ad D. Mariæ, & R. Min. Rostoch.

Directore,

publico Eruditorum Examini

IN ACROATERIO THEOLOGORUM

subjecturus est

M. JOHANNES HÖVET,

Stralfundensis.

ROSTOCHII, Typis JACOBI RICHELII, Ampliff. Senat. Typogr.  
Anno 1696. d. 7. Octobr.

B



§. 1.

Criptura S. est Theologiæ revelatæ nostræ Principium unicum, & adæqvatum, quia ex eâ solâ universa rerum Theologicarum procedit s. hauritur notitia.

§. 2. Est vero ea Principium incomplexum Theologiæ, & quidem cognoscendi: Complexum vero est hoc:

Quicquid Scriptura Θεοπνευστος asserit, est infallibiliter verum, & fide divina credendum.

§. 3. Est autem Scriptura S. scriptura ex Θεοπνευσία consignata, 2. Tim. III. v. 16.

§. 4. Et quatenus est certorum librorum in uno volumine complexus, dicitur in singulari η γραφη, Joh. II. v. 22. quatenus vero hic codex ex variis variorum ministrorum scriptis constat, in plurativo vocantur αι γραφαι. Joh. V. 22. Rom. I. 2. Item biblia, quoniam & vox bibliorum per synecdochen partis pro toto, tribuatur omnibus & Θεοπνευστος, & apocryphis in codice nostro contentis libris.

§. 5. Posterior equidem est Scriptura S. ratione Scripturionis Ecclesiæ, ratione vero rerum per eam significatarum antiquior est: Ante quidem quam Moses jussu DEI inciperet scribere, jam tum erat Ecclesia per prædicationem collecta; Res verò Scripturis S. contentas jam DEUS ab æterno in mente habebat, & in tempore, etiam ante Mosis tempestatem, hominibus manifestaverat.

§. 6. Effi-

§. 6. Efficiens Principalis Scripturæ S. est DEus tri-  
unus scribenda inspirans. Hinc dicitur Scriptura Θεόπνευ-  
στου 2. Tim. III. 16. Est enim inspiratio opus ad extra pro-  
ductum per potentiam essentialem, tribus Deitatis personis  
numero prorsus eandem, & ideo indivisum, i. e. tribus per-  
sonis commune. Eandem ob causam dicitur liber Jehova  
Ef. XLIV. 16. Interim per appropriationem est Spiritus  
Sanctus vid. 2. Sam. XXIII. 2. 1. Cor. II. 10. 12. 2. Petr. I. 21.

§. 7. Θεοπνευστία est causalitas illa, per quam DEus actu  
efficiens Scripturæ S. constituitur, estque ille revelationis Di-  
vinæ modus (& locutio DEI interna) quo DEus scribenti-  
um intellectui & conceptus rerum & vocum scribendarum  
omnium supernaturaliter suppeditavit, sive revera suggessit,  
& quasi in calamum dictavit, voluntatemque ipsorum ad  
scribendi actum excitavit: adeoque non consistit in nudâ gu-  
bernatione & assistentia ab erroribus eos præmuniente 2.  
Petr. I. 20. 21. 2. Tim. III. 16. ad omnem scripturam etiam vo-  
ces pertinent: & ni, non simpliciter πᾶσι γράφῃ diceretur Θεό-  
πνευστος.

§. 8. Amanuenses DEI sive causa ministerialis & mi-  
nus principalis Scripturæ S. sunt sancti DEI homines, 2. Petr. I.  
21. quibus vigilantibus, & integro sensuum usu, non tam per  
alloquium externum, quam internam locutionem DEus  
inspiravit. Hi distinguuntur in Prophetas & Apostolos. Illi  
dicuntur, qui ante Christi incarnationem ex inspiratione di-  
vinâ scripserunt. Hebr. I. v. 1. præcipuè de Messiâ venturo.  
Hi vero, qui post incarnationem ex inspiratione divina scri-  
pserunt, eo quod plerique eorum Apostoli fuerunt, vel quod  
Apostoli nomen in laxiori significato sumatur, conf. Rom.  
XVI. v. 7. Philipp. II. 25.

§. 9. Ratio impulsiva, qua motus DEus, ut Scriptu-  
ram S. inspiraret, constitui potest duplex (α) interna nem-  
pe, immensa DEI bonitas (β) externa, est hominum pec-  
catorum

catorum multiplicatorum indigentia, ut adversus cunctas doctrinæ corruptelas ritè informarentur ad salutem.

§. 10. Constat vero Scriptura S. verbis in certo contextu positis, & sensu Θεοπνεύσι, quem verba significant. Verba illa dicuntur Scripturæ S. materia ex quâ, sive materiale: Sensus Θεοπνεύσι vero dicitur ejus forma sive ratio formalis, per quam in suo esse specifico & proprio constituitur, & ab aliâ quâvis Scriptura distinguitur.

§. 11. Et quidem in V. T. usus est Spiritus S. sermone Ebræo, nisi quod alicubi quædam Chaldaica adspersit, v. g. Jerem. X. 11. Dan. II. a v. 4. usque ad cap. VIII. v. 2. Esdræ IV. a v. 8. ad cap. VI. & à capitis septimi v. 11. ad v. 27. In N. T. vero usus est sermone Græco plurimis gentibus non incognito, earumque conversioni accommodato.

§. 12. Uti vero Amanuenses Spiritus S. diversis locis & temporibus vixerunt, nec unius conditionis indolisque fuerunt, ita Spiritus S. in inspirandis rerum & vocum conceptibus, nec non in stylo, vocum phrasiumque structura, se ipsorum ingenio, dicendi que generi consveto accommodavit. Unde nunc humilior, nunc sublimior fluit orationis fabrica.

§. 13. Sensus Scripturæ S. consistit in conceptu & judicio mentis divinæ de rebus in Scripturâ contentis formato, Viris Θεοπνεύσι per inspirationem communicato, & per Scripturam S. divinitus inspiratam significato; adeoque includit & conceptus & conceptuum objecta.

§. 14. Res per Scripturam S. significatæ dicuntur objectum & materia circa quam Scripturæ S.

§. 15. Significatur vero sensus in Scriptura S. nunc per verba, nunc vero per rem verbis significatam. Et inde emergit distinctio sensûs in literalem & mysticum. Literalis est, qui per verba; Mysticus autem, qui per rem verbis significatam ad intelligendum exhibetur. Dicitur Mysticus

CUS

cus, quia aliud quid occultat, vel in se claudit, quam quod ipsa verba immediatè præ se ferunt. Hic nec in omnibus locis quærendus, nec temerè confingendus, sed animo in obsequium composito excipiendus, ubi eum Spiritus S. monstrat. Conf. Num. XXI. 8, 9. cum Joh. III. 14. Exod. XII. 46. cum Joh. XIX. 36.

§. 16. Sensus literalis significatur immediatè per verba. Et quidem si id, quod verba propriè sumpta significant, Autor per ea non intendit, sed potius aliud quid figuratum, solet vocari sensus literæ, v. g. Herodes est vulpes, in propriâ acceptione conf. Pf. XCI. 13. Cum vero id Autor intendit, quod verba significant, dicitur sensus literalis.

§. 17. Intendit vero Autor Spiritus S. aliquid per verba significare dupliciter, (1) nunc in nativâ suâ significatione & propriè sumtâ, & tunc est sensus literalis proprius. Nunc vero (2) non in significatione suâ propriâ, sed in figuratam deflectente, & dicitur sensus literalis figuratus.

§. 18. Unius dicti (ratione ejusdem subjecti, vel partis) ex intentione Spiritus S. (non alterius Joh. XI. 50.) formaliter (non per consequentiam, accommodationem) non nisi unum sensum literalem (non literæ & literalem) nec literalem & mysticum) per se intentum & innatum esse, tam diu credimus, quam diu non evictum fuerit, DEum unico dicto plures sensus literales simul exprimere voluisse.

§. 19. Finis, cui in bonum DEus Scripturam S. inspirare & consignari voluit, est homo peccato corruptus. Hinc omnibus lectio ejus concessa, & commendata, Deut. XXXI. 11. 12. Esa. XXXIV. 16. Joh. V. 39. Act. XVII. 11. conf. 2. Tim. III. 15. 16. Rom. XV. 4.

§. 20. Finis cujus gratia Scriptura S. est ex inspiratione divina consignata: (1) absolutè ultimus & communis nempe gloria DEI. (2) proprius est salus æterna (3) intermedius.

medius est fides in Christum, Joh. XX. v. ult, quam perpetuo comitatur studium sanctimonie.

§. 21. Quia igitur Scriptura S. est θεόπνευστος, omnino habet auctoritatem divinam, quæ ex auctoritate DEI Autoris manifesta, nempe ejus veracitate, per quam nec fallere, quia summè bonus, nec falli potest, propter infinitam suam scientiam, & potestatem summa & infinita præcipiendi, pendet, adeoque propter suam à DEO Autore dependentiam notam potest movere intellectum ad assensum dictis suis, & voluntatem ad obsequium mandatis ejus adhibendum.

§. 22. Quicquid igitur Scriptura S. asserit, certo & infallibiliter verum est, quia DEO veracissimo inspirante consignata est.

§. 23. Scripturam S. autem esse θεόπνευστον creditur non tantum fide humanâ, sed etiam divina.

§. 24. Fide humanâ hoc creditur propter argumenta partim interna, partim externa.

§. 25. Interna petuntur ex naturâ & proprietatibus Scripturæ S. v. g. ex styli simplicitate cum gravitate DEO dignâ conjunctâ: ex veritate sine erroribus, ex sanctitate sine inhonesto & indecoro, sufficientia ipsius doctrinarum ad salutem.

§. 26. Externa, quæ aliunde extra Scripturam depromuntur, v. g. ex ejus antiquitate; amanuensibus, ob notitiam traditorum & studium veri, fide dignis: ex miraculis; Ecclesiæ consentiente testimonio, martyrum sanctorum constantiâ inusitatâ, doctrinæ subitâ propagatione, & inter persecutiones conservatione, ipsorum gentilium testimonio, vindictâ in persecutores.

§. 27. Fide autem divinâ hoc creditur, per ipsa Scripturæ adserta, quæ virtutem divinam sibi semper & indissolubiliter conjunctam habent, per quam intellectum illuminant excitando cogitationem sanctam, & in assensum inclinando,  
volun-

voluntatem autem alliciunt, moventq; ut intellectui assensum fidei divinæ imperet, & ad assentiendum determinet, ideo, quia DEUS hoc inspiravit & dixit.

§. 28. Et quia fide divinâ credimus, DEUM non tantum conceptus rerum, sed etiam vocum, quibus primitus consignata est Scriptura S., inspirasse, adeoque Scriptura S. auctoritatem divinam habet, non tantum ratione rerum, sed etiam verborum primigeniorum, Scriptura vero V. T. Ebræo, & N. T. Græco idiomate est primitus conscripta, ideo etiam fide divinâ credimus, Scripturam V. T. Ebræo, & N. T. Græco idiomate esse à DEO inspiratam, adeoque sub hoc idiomate habere auctoritatem Canonicam sive normativam, ut sit regula doctrinæ fidei & morum prorsus certa & indubitata, cui falsum subesse repugnet, adeoque ad hunc textum primigenium versiones humano studio factas, scripta, & doctrinas, tanquam ad normam suam esse exigendas, nec ullam versionem esse authenticam.

§. 29. Ad hunc Canonem pertinent (1) libri Canonici V. T. quos Ecclesia Judaica vetus agnovit, & Christianis tradidit; reliqui vocantur apocryphi, quos illa non agnovit, nec Christus, nec Apostoli, nec primitiva N. T. Ecclesia. Sed Canonici N. T. sunt omnes, qui in bibliis nostris habentur cum de horum *θεογραφία* nunquam dubitatum sit ab universâ Ecclesiâ.

§. 30. Uti vero Auctoritatem, ita & efficaciam divinam habet Scriptura S. i. e. potentiam activam verè divinam ad supernaturales effectus producendos, sensui ejus, ex divina ordinatione liberâ, intimè & indissolubiliter conjunctam, extra usum in actu primo, in usu vero in actu secundo, ut nullo prorsus momento litera mortua existat. Qui effectus supernaturales à DEO per Scripturam S. uno indiviso influxu, non à DEO sinè scripturâ, nec à scripturâ sinè Spiritu


Spiritu S., sed per utrumque simul producuntur. Tales effectus sunt illuminatio, regeneratio, conversio, renovatio. Vide Rom. I. 16. Joh. VI. 36. nempe, quia est causa, 1. Joh. V. 6. 1. Cor. I. 18. 1. Cor. II. 4. 5. 1. Thess. II. 13.

§. 31. Neque minus Scriptura S. est perfecta & sufficiens, dum omnia homini salvando necessaria plene & perfecte tradit, 2. Tim. III. 15. 16. 17. Additamento igitur traditionum divinarum non indiget, cum dogmata omnia fidei & morum sive explicitè & formaliter, sive implicite & virtualiter, & quantum ad rem ipsam, in eâ contineantur.

§. 32. Denique Scriptura S. etiam est perspicua in iis, quæ creditu & factu omnibus hominibus sunt necessaria, ita quidem, ut quem sensum verba Scripturæ habeant, facile ab omnibus intelligi possit, qui sine præjudicio linguam intelligunt, verba ponderant, licet interdum res significata contineat mysterium. Nec confundenda claritas Scripturæ cum claritate & evidentia rerum. Et si vel maximè alicubi verba sint difficiliora, alibi tamen ea satis clarè & perspicuè proponit, vid. 2. Tim. III. 16. Rom. XV. 4. quæ perspicuitatem supponunt 2. Petr. I. 19. Luc. XXIV. à tarditate & amentia hominum N. V. C. ad obscuritatem Scripturæ, ut à cæcutientibus noctuis non valet ad obscuritatem solis. Act. VIII. 31. sermo est de uno Esaiæ loco, verba intelligebat, rem substratam ignorabat. Matth. XIII. 36. agitur de concione parabolica. Commentaria scribuntur propter loca obscura explicanda, & res substratas. In verbis cœnæ dissensus non oritur ex verborum obscuritate, sed rei substratæ sublimitate.







voluntatem autem alliciunt, moventq; uti  
fidei divinæ imperet, & ad assentiendum de  
DEUS hoc inspiravit & dixit.

§. 28. Et quia fide divinâ credimus  
tum conceptus rerum, sed etiam vocum  
consignata est Scriptura S., inspirasse, ad  
autoritatem divinam habet, non tantum  
etiam verborum primigeniorum, Scri  
Ebræo, & N. T. Græco idiomate est primit  
etiam fide divinâ credimus, Scripturam  
T. Græco idiomate esse à DEO inspirata  
hoc idiomate habere autoritatem Canonic  
vam, ut sit regula doctrinæ fidei & mor  
& indubitata, cui falsum subesse repug  
hunc textum primigenium versiones hum  
scripta, & doctrinas, tanquam ad normam  
das, nec ullam versionem esse authenticam.

§. 29. Ad hunc Canonem pertinent  
V. T. quos Ecclesia Judaica vetus agnovit  
tradidit; reliqui vocantur apocryphi, qu  
vit, nec Christus, nec Apostoli, nec primiti  
Sed Canonici N. T. sunt omnes, qui in bibli  
tur cum de horum *ἁγιωγραφή* nunquam du  
niversâ Ecclesiâ.

§. 30. Uti vero Autoritatem, ita d  
nam habet Scriptura S. i. e. potentiam acti  
ad supernaturales effectus producendos,  
vina ordinatione liberâ, intimè & indiff  
etam, extra usum in actu primo, in usu  
do, ut nullo prorsus momento litera mor  
effectus supernaturales à DEO per Script  
vifo influxu, non à DEO sinè scripturâ, n

Tensum  
eo, quia

on tan  
imitus  
tura S.  
m, sed  
V. T.  
ta, ideo  
, & N.  
ve sub  
rmati-  
s certa  
que ad  
factas,  
xigen-

nonici  
stianis  
agno  
clesia.  
haben-  
ab u-

n divi-  
vinam  
ex di-  
on jun-  
secun-  
Qui  
o indi-  
rà sinè  
spiritu

